

Alte Drucke

Antiqvissima Theologia Positiva Primi Theologi, Adami Protoplasti, Juxta Revelationem Paradisiacam Jehovæ Elohim, Ex Genes. III. Per Dei Gratiam, ...

Deutschmann, Johann

Wittebergæ, [1694]

IN NOMINE SEMINIS MULIERUS

Nutzungsbedingungen

Die Digitalisate des Francke-Portals sind urheberrechtlich geschützt. Sie dürfen für wissenschaftliche und private Zwecke heruntergeladen und ausgedruckt werden. Vorhandene Herkunftsbezeichnungen dürfen dabei nicht entfernt werden.

Eine kommerzielle oder institutionelle Nutzung oder Veröffentlichung dieser Inhalte ist ohne vorheriges schriftliches Einverständnis des Studienzentrums August Hermann Francke der Franckeschen Stiftungen nicht gestattet, das ggf. auf weitere Institutionen als Rechteinhaber verweist. Für die Veröffentlichung der Digitalisate können gemäß der Gebührenordnung der Franckeschen Stiftungen Entgelte erhoben werden.

Zur Erteilung einer Veröffentlichungsgenehmigung wenden Sie sich bitte an die Leiterin des Studienzentrums, Frau Dr. Britta Klosterberg, Franckeplatz 1, Haus 22-24, 06110 Halle (studienzentrum@francke-halle.de)

Terms of use

All digital documents of the Francke-Portal are protected by copyright. They may be downloaded and printed only for non-commercial educational, research and private purposes. Attached provenance marks may not be removed.

Commercial or institutional use or publication of these digital documents in printed or digital form is not allowed without obtaining prior written permission by the Study Center August Hermann Francke of the Francke Foundations which can refer to other institutions as right holders. If digital documents are published, the Study Center is entitled to charge a fee in accordance with the scale of charges of the Francke Foundations.

For reproduction requests and permissions, please contact the head of the Study Center, Frau Dr. Britta Klosterberg, Franckeplatz 1, Haus 22-24, 06110 Halle (studienzentrum@francke-halle.de)

urn:nbn:de:gbv:ha33-1-174445

IN NOMINE SEMINIS MULIERIS;
VITÆ PASCHALIS MORIENTIS,
ET MORTIS PASCHALIS VIVENTIS!

RECTOR

ACADEMIÆ WITTEBERGENSIS,
MICHAEL WALTHERUS,
SS. THEOL. D. PROFESSOR THEOLOGUS,
ET ALUMN. ELECTOR. EPHORUS,
PRIMUM PROTOPLASTORUM FESTUM PASCHA-
LE, CEU VERE PARACISIACUM, CATHOLICUM,
ET MAXIME FRUCTUOSUM,
AUTORE, DOCTORE, ET DUCTORE,
JEHOVA ELOHIM, DEO PATRE, FILIO,
ET SPIRITU SANCTO,

ANTIQUISSIMA FESTIVITATE
SOLENNITER,
PER VITÆ MORIENTIS, ET MORTIS VIVENTIS,
PASCHALEM ARCHETYPUM, MESSIAM, v. 13.
PASCHALEM TYPUM, SACRIFICIUM, v. 21. ET
PASCHALEM ECTYPUM, PECCATOREM REDIVIVUM,
v. 16. seqq.

IN PARADISI TEMPLO,
GEN. III. CELEBRATUM,
AD DEVOTIONES ET MEDITATIONES
PASCHALES,

UNIVERSIS, AC SINGULIS AGADEMIÆ CIVIBUS,
ANIMO, STUDIOQUE RELIGIOSO,
HODIE CONSECRAT, ET COMMENDAT /

IN NOMINE JESU !
VITÆ PASCHALIS VIVENDO MORIENTIS ,
ET
MORIENDO VIVENTIS !



Non Moriar, sed Vivam, inquit Autor Festi Paschalis, Dominus, & Salvator Jesus Christus, per Os Davidis, & cujuslibet anime fidelis, Psal. CXLIX. 17. Non Moriar, sed Vivam, inquit Mortuus Agnus Paschalis, & Narrabo Opera Domini. Admiranda cernimus, & audimus hic Paschalia, Paradoxa Paschalia, Mysteria Paschalia! Moriens non moritur, Mortuus vivere dicitur, Vivens Mortuus loquitur, Ipsemet Paschalia Paradoxa, ceu Præco Triumphalis, eloquitur, & Opera Domini mirabilia narrare perhibetur. Primum Paradoxum Paschale vocatur, quod Moriens non moriatur. Moritur Deo, Peccato, peccatorum supplicio, cum primis Inferno. Deo moritur, ut justitia divinæ satisfiat, quæ juxta Gen. II. 17. mortem peccatoris, sive propriam, sive vicariam, exigebat. Moritur peccato, cum mors sit peccati stipendium, ac immediatum salarium, Rom. VI. 23. Moritur nostro supplicio, dum ipse vulneratus est propter iniquitates nostras, & attritus est, ad mortem usque, propter scelera nostra, ut ejus livore nos sanaremur, & disciplina pacis nostræ super eum esset, Esa. LIII. 5. Ipse Pax nostra fieret, Eph. II. 14. & Pax ejus in æternum nobis contingeret. Non moritur Sibi, Nobis peccatoribus, & omnibus spiritualibus hostibus. Non moritur Sibi, vel suæ Mediationis officio, dum in mediâ morte manet deus & mediator Dei, & Hominum, Homo Christus Jesus, qui semetipsum pro nobis omnibus λύτρον, vel precium redemptionis dedit, I. Tim. II. 5. Naturale Vinculum equidem in anima, corporisq; separatione solutum, sed Vinculum ætius longe, quod personale vocatur, inter Humanam, & Divinam Naturam, nec est dissolutum, nec dissolvi potuit, cum hæ duæ naturæ sint ἀδιαλύτως, indissolubiliter, ἀδιάπτως, indivisi-

Gggg ;

visi-

visibiliter, & ἀχωρίσως, inseparabiliter, per Unionem hypostaticam unitæ, sicut, juxta Scripturam, in Concilio Chalcedonensi fuit olim definitum. O quam jucundum esset anima mea, si reliqua quoque Paradoxa Paschalia, quæ latent, & patent in hoc Ocululo Psalmidico, brevibus saltem perlustrare, vel illustrare liceret! Nam hic Moriens non tantum non Moritur, sed etiam ex opposito Vivit, hinc Mors Fit Vita, Mors Est Vita, Mors non tantum habet Vitam, sed & verè Paschalem dare potest omnibus peccatoribus Vitam, imò cunctis fidelibus dat Vitam, Victoriā, & Gloriā, I. Cor. XV. 55. Hic Moruus Vivit! Mortuus Vivens ad hostes infernales venit, omnes infernales potestates vidit, & Solus innumeras eorum copias vicit, Esa. LXIII. 1. seqq. & exspoliā hos principatus, & potestates, atque, triumphans illos in semetipso, confidenter palam traduxit, Col. II. 15. ac in theatro triumphali captivā omnem inferni captivitatem gloriose deduxit, Ps. LXIX. 19. Mortuus hic Vivens est Præco, vel Orator Triumphalis, Doctor, & Exegeta Paschalis, Spoliator Hostium truculentissimorum Universalis, Spoliorum Dispensator liberalis, Restaurator miserorum totalis, Salvator damnatorum æternalis. Hæc, & alia παράδοξα vere sunt παράδοξα γράφα. Hactenus in se fuerat Mors omnium terribilium terribilissimum, omnium formidabilium formidabilissimum, sed in nostro Goele Moriente nunc facta dicitur Omnium amabilium amabilissimum, Omnium desiderabilium desiderabilissimum! Hæc autem Paschalia Paradoxa non sunt hodie demum nata, nec cum ipso Christo Salvatore revelata, sed potius antiquissima sunt, vereq; Raradisiaca, cum ipsi pelliceis tunicis statim primis Parentibus, vel Protoplastis, tradita. Vere sunt Catholica temporum omnium, seculorum omnium, Veteris, & Novi Testamenti, presentis, & futuri seculi, paradoxa prorsus æterna! Veteris Testamenti fuerunt Paradoxa Paschalium sacrificiorum Typica; Novi Testamenti facta sunt Paradoxa Paschalis Agni Salvatoris Antitypica, vel Historica: Presentis, & futuri, seculi dicuntur, Paradoxa Paschalia Peccatorum respicientium, Hominum Mortuorum, in Goele Viventium, & post hanc in æterna vita triumphantium! Tabulas authenticas

ticas horum Paschalium Paradoxorum si piis meditationibus evolvere, vel excutere volumus, magno numero prostant in adminando, vel abundantissimo Cælestis Veritatis Archivo, quod est Scriptura Sacra. Monstrant nobis authenticas ejusmodi Tabulas Moses, & Propheta, nec easdem Psalmi negligunt, quemadmodum Ipse Victor, & Doctor Paschalis, tam Emaunticis peregrinantibus, Luc. XXIV. 27. quam omnibus reliquis Discipulis, Paradoxa Paschalia ruminantibus, admirantibus, & non parum adhuc de veritate tantorum Mysteriorum incredibilium dubitantibus, v. 44. luculenter exposuit, verbique Paschalis penetranti virtute mentes, & corda dubitantium, ad veram fidem ingenerandam, aperuit. Monstrat easdem authenticas Tabulas, & quidem in majori copia, & pleniori historica consummationis evidentia, Christus, & Apostoli, qui Duce Spiritu Sancto, vivis, imo vivificis literis, non modo chartis librorum, sed etiam cordibus Christianorum, hæc Paradoxa Paschalia pressius inscripserunt. Sed quia Dulcius ex primo fonte bibuntur aque, Vitæ Paschalis aquas vivificas de cunctis his Paradoxis Veteris, & Novi Testamenti, presentis, & futuri seculi, non aliunde, quam ex Fontibus Paradisiacis haurire, & planissimam, atque plenissimam à Primo Doctore Paschali, tam cælesti, Jehovah Elohim, quam terrestri, Professore, vel Oratore delegato, Adamo, doctrinam, ac informationem audire placet. Hic nescit aliud in mente, vel corde, quam Vitam, nil aliud dicit in lingua, vel ore, quam Vitam, nil aliud etiam admittit hic in opere, quam Vitam, dum illustre Vitæ Nomen Conjugi, per modum perpetui Memorialis, imponit, & in fide peccatores Mortuos Viventes constituit. Sed per quam Vitam? Citra dubium per Vitam Paschalem, cum Mors Paschalis sit Vita Paschalis. Eva peccatrix mortua nunc est Spiritualis, in Redemptore Paschali, Vita! Si nostrum Paradisiacum Oratorem, ad imitationem Oratoris Græcorum Celeberrimi, Demosthenis scilicet, interrogamus; Quidnam sit primum in peccatoris pœnitentis, & ad sui gratiosam restitutionem contendentis, meditatione, peroratione, vel etiam operatione? Respondet, Vita Paschalis. Quid secundum? Vita Paschalis.

Quid

Quid tertium? *Vita Paschalis*. Hæc *Vita Paschalis* α, & ω, *pro-
ra*, *puppi*ve totius *Vita Peccatoris militantis*, aut *Viatoris*, his in
terris peregrinantis. Hæc unicum, & adequatum *Adami Ver-
bum*, à *Spiritu s. memoriæ* commendatum, & *posteritati* conse-
cratum! Hæc optimum, & sufficientissimum *Gratiæ resi-
nenda*, & *æternæ Gloriæ consequenda medium*! Hæc integrum,
& perfectissimum totius *Theologiæ Compendium*, sicut alibi de-
monstratum! Offendimus igitur apud *Adamum*, ejusque
revelationem, illustre, perfectumque *Compendium Meditatio-
num Paschalium*, *Summarium* omnium *Concionum Paschalium*,
Breviarium omnium *Paschaliū Operationum*, & *festivalium cele-
brationum*. Nam *Adamus* contemplatus est, & per fidem in verbo
meditatus, & ἡσυχία, *Paschalem Vitam Morientem*, & *Paschalem
Mortem Viventem*: hanc autem ἡσυχίαν in triplici Veneratus est
ἐκκοινωνία, dum, per Spiritu Diei *Paschalem illuminationē*, in Verbo
corde credidit *Paschalem Mortem Viventē* & Ἀρχετέτυπον, externis
oculis conspexit *Paschalem Mortem Viventem* & ἑρμηνείαν, vel *sacrifi-
cio* in semetipso per fidem sensit *Mortem Viventem Paschalem* &
ἐκτίτῃ: illa *Messiae*, ista *sacrificiorum*, hæc *peccatorum pæ-
nitentium*; illa *fundamentalis*, ista *Ceremonialis*, hæc *spiri-
tualis*: illa *principalis*, ista *suo modo formalis*, hæc *Materi-
alis*; illa *causalis*, ista *specularis*, hæc *finalis*; illa *corporis*, ista
umbræ, hæc *metæ*; illa *primum ostendit ortum*, ista *certum
statum*, hæc *omnem fructum*; illa *substantialis*, ista *legalis*,
hæc *salutaris*; illa *principii*, ista *symboli*, vel *indicii*, hæc *be-
neficii*. &c. Sed quis omnes, vel *eminentias*, vel *differentias*, bre-
vi charta comprehendere, vel ex mentis imbecillitate cun-
ctas describere posset? Nos modo *paschales Adami Vias* in-
grediemur, & ad ductum *Jehovæ Elobim*, in ejus *vestigis* no-
stris *meditationibus* devote progrediemur, ita sub infallibili,
Summoque Duce, præcursore *Adamo*, primo *Paschalium Fe-
stivitatum Cultore*, neutiquam à *via Veritatis*, & *dexteritatis*, di-
grediemur. Non autem multa nunc circa *Paschalem occa-
sionem*, & *motiva*, circa *Primi*, Magnique *Paschatos originem*,
& *constitutionem*, vel alia, secundum inexhaustas *Capitis hujus*
divi-

divitias proferemus; nec enim festivalis Programmatidis brevitatis id modo permittere videtur; sed statim laudatam tergeminam, vereque perfectam Paschalis Vitæ Morientis, aut Mortis Viventis, Oeconomiam aggrediemur. Hic ante omnia pulcherrimum, & omni commendatione dignissimum, veroque fructu plenissimum, Ordinem admirari possemus, cum & in his Paschalis Jéhoa Elohim ipso facto, se non confusionis, sed Ordinis Autorem, & Amatorem, & Observatorem esse, luculentissime demonstrarit. Verum nos etiam, ob brevitatis studium, ipsa re magis, quam operosis verbis, ordinem hunc declarabimus. Prima proinde Paschatos Vita Moriens, & Mors Vivens est Messias, vel ipse Messias, quia Semen Mulieris conteret caput serpentis, & hic insidiabitur, ad mortem, ejus calcaneo. O magnitudinem Paschalium Mysteriorum! O multitudinem Paschalium Artificiorum! O plenitudinem Paschalium Beneficiorum! Sed dum magnitudo mysteriorum nostras mentes deprimit, multitudo paschalium artificiorum meditationes nostras opprimit, plenitudo beneficiorum animos nostros vehementer erigit, & reficit. Nos cuncta contrahemus, & multa paucis exponemus. Summus Doctor Paschalis, Jéhoa Elohim, nostris in Adami Fesso Paschali Meditationibus offert Principalis Mortis Viventis Causam, Materiam, & Formam. Causa Principalis Mortis Paschalis Viventis est Semen Mulieris, ipse Messias, Verus Homo, dum Semen Mulierie est, & Verus Deus, seu Dei Filius, quia, tanquam Jéhoa c. IV. 1. opere divino, vel Mediatorio, conterit Caput Serpentis, quod non est humane virilitatis, nec Angelicæ potestatis, sed solius divinæ Virtutis, siquidem in hoc apparuit Dei Filius, in Semine mulieris, vel carne, ut dissolveret opera Diaboli, I. Joh. III. 8. Semen hoc est α, & ω, principium, & finis, Apoc. I. 8. ubi dicit ipse Messias: Ego sum Alpha, & Omega, Principium, & Finis, dicit Dominus, qui Est, & qui Erat, & qui Venturus est, Omnipotens, nim. ad caput serpentis conculcandum. Et v. 17. Noli timere, vel Adam, vel nima fidelis: Ego sum Primus, & Novissimus. Et Vivus, & fui mortuus: Et ecce, sum Vivens in secula seculorum, & habeo claves mortis, & inferni. h. e. Sum Vivus, & Mortuus,

Hhhh

ut

ut *Vita Moriens* : & Ecce nunc sum *Mors Vivens* in secula seculorum. Quibus Christus Johanni seipsum, & nobis omnibus, tanquam *Vitam Morientem*, & *Mortem Viventem*, ad *Paschales Commentationes* obtulit, circa Scripturæ finem in *Apocalypsi*; sed quia Jesus Christus idem Heri, & Hodie, idem & in secula, *Heb. XIII. 8.* propterea se non alium *Adamo*, statim in *Genes. c. III. 15.* tanquam *Pascha Primum*, exhibuit, quod præsentis *Programmatis* est *Argumentum*. Hic est *Vita καὶ ἐξοχὴν*, *Ioh. I. 4.* *Via*, *Veritas*, & *Vita*, *c. XIV. 6.* imò *Vita*, & (à mortuis) *resurrectio*, *c. XI. 25.* quia potestatem habet ponendi animam, & iterum sumendi eam, *c. X. 18.* Ejus Divinitas est *Vita*, Humanitas ejus est *Vita*, totus Messias est *Autor Vita*, *Act. III. 15.* Et tamen *Autor Vita* dicitur interfectus, *ibid.* *Vita Moriens*, & *Vita Paschalis mortua*, sed ipsa *Vita* neutiquam in morte manere potuit. Ejus *Caro vivifica*, dum ipse panis *Vite*, *Joh. VI. 48.* qui de cælo descendit, ut si quis ex ipso manducaverit, non moriatur, *v. 50.* Si proinde vivificat alios *Mors* ejus, multo magis Ipse *Paschalis* est *Vita Moriens*, & sic ex mortuis semetipsum *Vivum* exhibuit, *Act. I. 3.* Ejus *Verba Vita*, *Joh. VI. 63.* per *Spiritum vivificantem*, *ibid.* imò sunt æterna *vita verba*, *v. 68.* Ejus opera vivifica: Sicut enim Pater vivificat, sic & Filius, quos vult, vivificat, *c. V. 21.* & sicut Pater habet *Vitam* in semetipso, sic dedit & Filio habere *vitam* in semetipso, *v. 26.* imò *Vitam* habet à seipso, causaliter, ut *Autor Vita*, materialiter ex seipso, tanquam radix, & origo *Vita*, formaliter per semetipsum, ut ipsa *Vita*, finaliter propter semetipsum, dum propterea suam habet *vitam*, ut miseris peccatoribus det *Vitam*, id quod ipse testatur, in precibus *ἁποκρυφτοῖς*, ad cœlestem Patrem, *Joh. XVII. 2.* Dedisti, Pater, Ei (Filio) potestatem omnis carnis, ut omne, quod dedisti ei, det eis *vitam æternam*. Non igitur alius *Autor*, alia causa, vel origo, aliud *Semen*, vel principium, *Vite Paschalis*, quam ipse Messias. Hic *Semen* est, & quidem *Semen mulieris* est. *Mulier* debuerat esse, per intentum Creatoris, *Officina Vita*, propterea fuit edificata, *Gen. II. 22.* *Adamo* per *Jehovam Elohim* appropriata, tanquam admirandum *Vite laboratorium* :
sed

sed proh dolor! ex seductione serpentis *Officina mortis* evasit, & *Adamo* non tantum, & *sibi*, sed etiam omnibus posteris mortem intulit, *Rom. V. 12.* Verum, per *Semen mulieris* vivificum, rursus & ipsa vivificata, & ipsa pariter *Mater omnium Viventium facta*, *Gen. III. 20.* cum primis autem hoc *Semen*, tanquam *Vite Semen*, in *Paschate* primo producit in ipsum *mortis Theatrum*. Aderat hic ipsa *Mors*, ex legis transgressione, divinaque comminatione, *c. II. 17.* *Mortis Dominus*, *Serpens*, qui *mortis* habebat imperium, *Hebr. II. 14.* *Mortis stimulus peccatum*, *I. Cor. XV. 55.* vel ipsum *opsonium*, quia *peccati stipendium mors est*, *Rom. VI. 23.* *Mortis campus*, ipse *Paradisus*, proh dolor! qui debuerat esse *Vite Campus*, nunc factus est *mortis campus*, vel totus *mundus*, quia non modo *peccatum*, sed etiam *mors* totum *mundum* intravit, *Rom. V. 12.* aderat tandem innumerabilis *Mortuorum exercitus* in *protoplastis*, & omnibus posteris ipsorum! O Miseria Miseriarum! Quis dabit capitibus nostris aquas, aut oculis nostris fontem lacrymarum, ut plorare possimus die, ac nocte, per serpentem, & mortem, interfectos populi Dei? *Jer. IX. 1.* Mortem nobilissimarum inter visibiles creaturarum. Sed bene se paschalis res habet. *Semen* adest, *Vite Semē* adest, *Vite Seminarium* adest, *Semen Mulieris*, *Causa Mortis*, fit *causa Vitae*, *seminarii Vitae*, quia *Semē Mulieris* pro cunctis fit peccatoribus *Vita Moriens*. *Adam* primus ad *Vitam* non ad *Mortem* creatus erat. Nam & ex *insufflatione Creatoris Spiraculum Vitae*, & cum eo *Vitam omnem*, & *quiescentem* in mundo, cum aliis *viventibus*, *externam*, & *quiescentem* per *Dei Verbum*, ejusque peculiarem *inhabitationem*, *internam* in *Deo*, & *quiescentem* in *caelo vitam eternam*, vel potius ad eandem *vis* acceperat; & sic factus erat in *animam viventem*, *Gen. II. 7.* sed ex *invidia serpentis*, *Sap. II. 23.* & ex *apodictis*, vel *inductis* *Conjugis*, *Gen. III. 6.* in *mortis reatum*, & *supplicium* incidit, & sic *Vita Moriens* evaserat, loco *Vitae* *mors* hominem occupaverat, dum *vera Vita*, divinitus communicata, proh dolor! in *meram Mortem*, per *Cacodæmonem* illatam, degeneraverat. Nec à *Serpentis jugo*, nec à *mortis vinculo*, nec ab *inferni supplicio*, dabatur ulla per creatam, atque finitam virtutem

Hhhh 2

tem

tem liberatio. *Peccator totus totus in peccatis mortuus hærebat, nihil in ipso veræ vitæ manebat. Nullum hic pro vitæ recuperanda penes homines consilium, nullum inter Angelos, vel alias creaturas, contra mortem auxilium, nullum in toto mundo refugium, vel asylum erat, & miser homo Deum, apud quem unice consilium, & auxilium, vel quærendum, vel inveniendum erat, stolido proposito fugiebat! Sola proinde Misericordia Jehovæ E'ohim Vitam Hominis peccatoris Morientis, & mortui, jam intendebat, sola Sapientia Patris consilium salutis afferebat, sola Potentia Dei spiritualibus hostibus, & morti cumpromis, resistere poterat. Sed, qui dederat consilium, ferre volebat auxilium. Viva sapientia Patris, Æterna Vita Filii, per operationem Sancti Spiritus, Vita Seminis mulieris fieri contendebat, & Vitam Peccatoris Morientis suam faciebat, imò peccatoris mortem in se mirabiliter suscipiebat, & pro cunctis peccatoribus Mors Ipsius mortis fiebat. Sic Vita semper vivens, a seipso vivens materialiter ipsa Mors est. Vita Moritur, ut Mors vivat. Vita Salvatoris moritur, ut Mors peccatoris vivat. Occupatissim⁹ est callidissim⁹, & ferocissim⁹ Serpens antiquus, ut more suo Semē mulieris instar novi Hospitis, instar Novi Hominis, instar novi Hostis, excipiat, Fraudes omnes concipit, furores omnes colligit, ut eadem, sive facilitate, sive velocitate, qua primum Adamum vicerat, etiam Secundum circumveniret Adamum, & mortem Eidem peccatorum meritisissimam inferret. Sed, dum Serpens, apud inferos repens, Caput Ejus attingere, manus constringere, lumbos confringere nequit, calcaneum saltem contere-re, vel atterere suo veneno mortifero contendit. Vita proinde nostri Promachi, juxta Patris voluntatem, Ps. XL. 8. juxta rei necessitatem, Luc. XXIV. 6. juxta decreti salutaris infallibilitatem, Act. IV. 28. fit moriens, ut mors peccatoris nocens in hac innocenti morte cessaret, & hæc mors om̃ibus hominibus peccatoribus vitam recuperaret. O quanta latent in hac Vita moriente mysteria? quanta patent hic bella, certamina, vulnera? quanta se movent inde Vita, Victoriæ, Paschalis signa? quanta fovent hæc Mortis morientis, & Vitæ reslorescentis specula? quanta comparent*

Vite peccatorum hominum præsidia, subsidia, privilegia, beneficia? Nec mente nostra caduca tanta *usumidia* possumus assequi, multo minus verbis convenientibus, aut lingua balbuciente persequi valemus. *Materia tota paschalis Antitypi nobis in hac Vita Moriente sistitur, & in eadem omnis Passio, cruciatus, & Mors messia, per compendii modum, exhibetur.* Si calcaneum patientem introspicere, *Vitam inderedentem* conspiceret, mortem autem in ipsam *Vitam Redemptoris ingredientem*, adspicere liberet, ô quanta *Mysteriorum seges* hic fieret, & quanta *meditationum passionum messis* hinc expectari posset! Verum hac vice non in *passionalibus*, sed *Paschilibus*, contemplationibus versamur. *Paschalem* igitur *Antitypum* in ejus forma nunc paucis aggredimur, & ad *Mortem Viventem*, ejusque *venerationem* progredimur. Sed quid hic primo, quid medio, vel postremo, loco proferendum? *Abyssus Mysteriorum Paschalium* hic deprehenditur, dum *Vita Moriens*, vel *mortua*, per ipsam mortem, adversus *hostes omnes* venit, vidit, vicit. Sicut pueri communicaverunt *carni, & sanguini mortali*, sic ipse *particeps factus est ejusdem*, ut per mortem suam mortem omnem vinceret, & cum, qui mortis habebat imperium, victoriosis destrueret, Heb. II. 14. *Moses* dicit, quod *Semen mulieris per calcaneum vulneratum, & postea mortuum, Caput Serpentis conculcaverit.* Hæc *Mors* vere vivens est! Quod non vivit, illud nec agit, nec conterit. Hæc *Mors* vere sapiens, & intelligens est. *Caput Serpentis omnes astutias, & fallacias*, continebat, quia *μυετοτεχνης* erat; sed hæc *Mors* sua *παινοφία* *sophistam* infernalem confundit, omnia *σοφισματα* *calliditatis* retundit, & totam fallacissimarum, & mendacissimarum *sophisticationum officinam*, vel *Caput integrum*, totaliter contundit. Hæc *Mors* vere volens est. Sua *libertate* pessimus *Cacodæmon* abusus erat, dum & ipsemet à Deo *damnable licentia* defecerat, simulque *Nobilissimam visibilibus Creaturarum, Hominem*, ad similem *licentiam*, per turpissimam *apostasiam* pertraxerat, ac omnem *boni voluntatem* eidem *surruperat.* *Vita Messie morientis voluntatem omnem humani-*

Hhhh 3

capit

ratis deponit, & tamen *mortua voluntas* serpentis capiti se
 confidenter opponit, fortiter *calcaneum* in ejus *caput* conji-
 cit, & idipsum plenarie conterit. Hæc *Mors vivens* vere dici-
 tur *agens*, vere dicitur *inimicitias*, adversus omnes spiritua-
 les *hostes*, *gerens*, Gen. III. 15. vere dicitur *prælia miscens*, dum
Serpentem, & omne *damnabile semen* ejus, non *verbis*, non *le-
 vibus armis*, non *manibus*, aut *digitis*, non aliis *mollioribus me-
 diis*, sed *calcaneo fervente*, *ferociente*, & quasi *furente*, potenter
 aggreditur, & omnes *inimicos* conterere, tanquam *ultor*, an-
 nititur, sicut ipse testatur: Esa. LXIII. 3. *Torcular calcavi solus*,
 (in sanguinis effusione rubicundus,) & de gentibus non est vir
 mecum: calcavi eos in furore meo, & conculeavi eos in ira mea,
 & aspersus est sanguis eorum super vestimenta mea, & omnia indu-
 menta mea inquinavi. Dies enim Ultionis in corde meo, annus re-
 demtionis mea venit. &c. Hæc Mors denique vere conterens,
 confringens, atque vincens est. O Mortem Paschalem *Viven-
 tem*, vere admirabilem, nobis semper venerabilem, cunctis fi-
 delibus in æternum adorabilem! Leo mortuus alias *Signum* nul-
 latenus mordet! Hic *Agnus occisus*, non naturalem, sed infer-
 nalem Leonem, 1. Petr. V. 8. non tantum mordet, sed totum *cap-
 ut* conterit. Hinc *Johannes Apocalypticus* vidit, & audiit, in
 circuitu throni vocem angelorum multorum, & animalium, & Senio-
 rum, & erat eorum numerus millia millium, Dicentium voce magna:
 Dignus est Agnus, qui occisus est, (vere Vivens) accipere virtutem,
 & divitias, & potentiam, & fortitudinem, & honorem, & gloriam,
 & omnem benedictionem, & omnem creaturam, quæ in cælo est, & quæ
 super terram, & subter terram, & mare, & quæ in eis sunt. Omnes au-
 divi dicentes sedenti in throno, & Agno: Benedictio, & Honor, &
 Gloria, & Potestas, in secula seculorum! Hæc sunt æternitatis
 Epinicia Paschalia, Privilegia Paschalia, Gaudia Paschalia! Apoc.
 V. 11. seqq. Conf. Paschale quoque *Prelum*, & *Epinicion*, suo
 modo nobis adumbratum, c. XII. 7. seqq. Sed plura, de Pa-
 schali *Protoplastorum Antitypo*, nunc commentari non licet.
 Pergimus ad *Typum* eorum Paschalem, dum *Agnus occisus est*
 ab origine mundi, videlicet in typis suis, Apoc. XIII. 8. *Typi pa-
 schales in Paradiso* satis notabiles primis parentibus, satis me-
 morati

merabiles cunctis posteris, satis omnibus admirabiles extiterunt. Homo, per seductionem serpentis, & transgressionem legis, peccator factus, non tantum alias, sed etiam mortis corporalis, spiritualis, & infernalis, & pœnas, meritis erat: attamen cum ipse non haberet, in quo satis Deo, vel justitia, faceret, æternus Dei Filius ejus culpam, & pœnam, ex mera gratia suam fecit, dum in ejus Sponsorem, Mediatorem, & Satisfactorem, se paratissimum obtulit, quod Semen mulieris mortiferum calcanei mortuum, hominis vice, sit à serpente passurum, sed Eidem mortuo suo calcaneo caput contritum, v. 15. Hoc tamen satisfactionis λύτρον non statim post lapsum, sed in plenitudine demum, temporis, Gal. IV. 4. in vespera mundi, Messias præstiturus erat, suæ verò mortis futuræ symbola certissima, (sacrificia Paschalia, vel alia, sapienti suo consilio constituebat, inprimis brutorum mactationem, oblationem, & combustionem. Typi quidem illi nominetenus in c. III. non introducuntur, mox autem c. IV. 3. & 4. satis evidenter adducuntur: Factum est, ut offerret Cain de fructibus terre munera Domino, nim. in oblationem, & sacrificium: Abel quoque de primogenitis gregis sui, & de adipibus eorum. Hæc certe non tanquam nova, vel inusitata, sed tanquam consueta, vel usitatissima recensentur, nec ut prima, sed ut dudum adhiberi solita recitantur. Ex doctrina Patris Adami per fidem Abel sacrificium suum obtulit, Hebr. XI. 4. quod gratiose Dominus propter Messiam, in fide præsentem, respexit, Gen. IV. 4. Sed Cain sine fide nudum opus operatum in sacrificijs attendit, & doctrinam, atque Praxin Patris deseruit, ideo Dominus ad ejus sacrificia non respexit. Pater Adam non ex natura ductu, nec ex naturali quodam instinctu, nec ex ratiocinationis usu, nec ex mentalis indagationis actu, sed ex solius divinæ revelationis afflatu, sacrificandi ritum adhibuit. Nullus hominum tantæ sagacitatis, nec ullus Angelorum tantæ subtilitatis esse potuisset, ut infinita justitia typica lytra, divinæ reconciliationi convenientia signa, Messiana satisfactioni typica media congrua poneret, & constitueret. Homo peccaverat, mortem homo pati debebat. Bruta Deum non offenderant, nec legem ejus violaverant, nec igitur proprias, nec vicarias

mor-

mortes in pœnis sustinendis expedire debebant. Ubi nulla culpa, nec ulla datur ibi pœna. Deus igitur solus sacrificiorum oblationem ordinavit, & solus Messias hostes sibi subordinavit, & Spiritus Dei, vel Sanctus, corda protoplastorum illuminavit, ut hæc arcana Dei perciperent, intelligerent, & crederent. Tota sacrificiorum hierurgia Deo per fidem placet, Hebr. XI. 4. fides solo nititur Verbo, quod est verbum fidei, Rom. X. 8. & ex auditu Verbi tantum Fides oritur, v. 17. Verbum autem non aliunde, quam à λόγῳ Patris, Dei Filio, Joh. I. 18. venit! Messias igitur primus Typorum, vel sacrificiorum Paschaliū Autor fuit, tanquam summus Sacerdos, à Deo Patre constitutus, & appellatus Pontifex, Hebr. V. 10. Primus etiam esse voluit, qui sacerdotales partes, tanquam principalis, expediret, agnos, oves, & boves, in typicos vicarios, sibi subiceret, sacrificiales ritus, & consuetudines, ex arcanis sapientiæ divinæ produceret, sacrificandi modum protoplastis, Adamo cum primis, luculenter ostenderet, & hunc etiam in summum Sacerdotem inter homines sibi substitueret, Eiq; cum omnibus successoribus vicarium sacerdotium committeret. Demonstrant id pelles sacrificiales, & sacerdotales, quarum mentio fit, v. 21. quas ipse Messias sumit, vestes ex illis confecit, & iis nuditatem protoplastorum obtexit. Hæ pelles non de novo creatæ, quia Deus jam c. II. 1. & 4. creationem omnem consummaverat: neque pelles nude creationis objectum, vel terminum, inferre poterant, dum neque totas creaturas, neque partes earum, sed tegumenta tantum illarum inferebant: Deus autem, juxta praxin perpetuam, Creationem tantum ad integras creaturas ordinavit: Pelles igitur sunt animalibus detractæ, non vivis, quod crudelitatis aliquam speciem habuisset, sed mactatis, & mortuis, ut ex omnium seculorum experientia notum. Mactaverat autem Messias animalia, non ad nullum, sed ad verum usum, cum Deus, & Natura, nihil frustra faciant. Usus ille non respiciebat esum, quia primi homines tunc temporis nondum carnibus vescabantur, sed cultum, qui Deo sacratus erat: non igitur in corporale beneficium, sed in spirituale sacrificium, non in alimentationem, sed in oblationem, non in usum domesticum, & physicum, sed in ecclesiasticum, & mysticum; has bestias

CON-

consecraverat, & pelles etiam ad usum non tantum naturalem, sed etiam sacrificialem, & sacerdotalem, ordinaverat, ut vestimenta iustitia, & indumenta salutis, per Mesiam peccatoribus destinata, Esa. LXI. 10. significarent, & representarent. O quanta latent in his Paschalia mysteria, quanta beneficia, vel Privilegia Paschalia! Sed hæc explicare non licet, allegare tamen nonnulla paucissimis liber. Cernimus enim in Adam, vel primum Fidelium eortologiam, totius Testamenti Typicam, seu Veteris, Paschaliu Typorum propriam conditionem, necessariam relationem, & uberissimam fructificationem. Si quis propriam Typorum Paschaliu conditionem exponere vellet, non decisset eorum quidditas, quia Jehova Elohim nec homines fontes, nec Angelos, Heroes, & Ministros fortes, sed bestias, & fruges impotentes, Gen. IV. 3. 4. in sacrificium ordinare, sed in paradiso potissimum animalia bruta Paschales in typos sanctificare voluit. Sunt hæc specula divinæ misericordiae, sapientiae, & potentiae. Misericordia peculiaris erat, quod Deus non homines, sed alias creaturas ad mactationem, & oblationem requirebat. Erat admiranda sapientia, quod serpenti, brutorum omnium callidissimo, versutissimoq; Gen. III. 1. cum primis infernali, tenebrosos & imbelles agnos, simplices oves, stupidos boves, opponeret, ac his omnem ejus astutissimam potentiam, & potentissimam astutiam, confunderet. Erat infinita potentia, bestias contra Demones, irracionales, contra rationales simplices contra sapientes, imbelles adversus armatos fortes, Luc. XI. 21. impotentes contra potentes, terrestres adversus infernales, animare, vel armare. Nec decisset Typorum Paschaliu Quantitas, Antitypus quidem erat unus, sed innumeri Typi, siquidem in una Templo Salomonis inauguratione viginti duo milia bovum, & octuaginta milia, sacrificiorum instar, mactata sunt, 1. Reg. IX. 63. Agnorum Paschaliu innumera multitudo, singulis annis occisa fuit. Sic in paradiso Paschate quoque vel agnorum, vel aliorum sacrificiorum multitudo fuit oblata Deo, dum non unius pelles, sed plurimum pellium fit mentio, Gen. III. 21. Neque deficeret Qualitas. Brutum erat purum, non per ipsum peccatum impurum, erat Dei creatura, non Diaboli factura, creatura simplex, non autem, ex conspiratione Diaboli, nequam duplex, erat innocens, non nocens, peccatorum expertus, non participans, à panis alienum, non culpa, penaq; socium. Iustus tamen in his erat Deus, qui vicarias partes animalibus imponebat, dum accessorium suum principale sequitur. Bruta sunt propter hominem, sunt hominis possessio, luit igitur Homo sic in sua possessione, dum non luit in corpore. Necessaria relatio, quæ bruta relata sunt ad Mesiam. Sed hic tanta divinorum mysteriorum nobis comparer multitudo, ut initium eorum non liceat definire, neque finem ipsorum invenire. Hoc unicum monemus, quod Brutorum sacrificia sine Messia neququam esse debeant, & typi citra suum Antitypum esse nequeant. Quid de copiosa fructificatione dicemus? Per hos typos Proteplastici, cum omnibus posteris V. Test. remissionem peccatorum, Pœnarum dispensationem, & relaxationem, Vitam, iustitiam, & omnem salutem, consecuti sunt. Sed nec de his aliquid addere possumus. Tanta vero me-

moratu digna Theologia Paradisiaca, de Paschato Ectypo, nim. de Peccatoribus redditis, affert, ut integer Commentarius, in præcipuis exponendis, vix sufficeret. Nos, cum ad finem properare necesse habeat *Programma*, Capita generalissima saltem indicabimus. *Protoplasti* sunt hic *Vita Moriens*, & *Mors Vivens*. *Mortis* sunt, quoad corruptam naturam, *Vita* sunt, quoad *Paschalem Gratiam*. Ostendit hoc *Paschalis peccatoris regeneratio*, & *Causa Mystica Collatio*, quæ fit per *Messiam*, seu *Semen regenerationis*, dum in hac *Christum* induimus, Gal. III. 27. & in *Eo Vivimus*, Gal. II. 20. & per *Verbum*, qui *Spiritus regenerationis*; Joh. III. 6. & per *Evangelii Verbum*, quod est *medium regenerationis*, Jac. I. 18. Hæc *protoplastorum regeneratio*, *Vitaq; Paschalis communicatio*, Gen. III. 15. collato v. 8. traditur. Ostendit idem v. 16. seqq. *Vita Paschalis regenerata per ignem crucis probatio*, I. Petr. I. 7. & *spiritualis confirmatio*, dum *crux* est *coricula fidei*, *Vitaq; spiritualis*. Ostendit hoc *pariter Vita Paschalis testificatio*, v. 10. *Vita Paschalis demonstratio*, per *vestimenta salutis*, & *justitiæ*, symbolica, nim. *pelles sacrificiales*, & *sacerdotes*, v. 21. *Vita Paschalis continuatio*, per *assiduam*, & *continuam*, ac à Deo commendatam, & demandatam *pœnitentiam*, v. 22. *Vita Paschalis continuata per labores vocationis*, strenue susceptos, & *exeditos*, *præservatio*, dum *otia* dant *vitia*, v. 23. *Vita Paschalis præservata conservatio*, per *Angelorum præsentiam*, *adistentiam*, & *fidelem diavoliæ*, v. 24. Conf. Hebr. I. 14. His, & aliis modis, atq; medijs, primi *Fœderales Cultores* nobis *Ectypum*, *Paschalem Peccatorem*, in vera *pœnitentia reddendum*, evidenter exhibent, & ad *Meditationes*, atque *Devotiones paschales* adhibendum esse docent. Sed *plus ultra* nobis modo *prohibitum*. Estis, O *Nostri*, *Protoplastorum posterii*, quoad *Naturam*, & *Culpam*, *fratres eorum amuli*, quoad *Paschalem Gratiam*, & *Gloriam*! Adspicite *Paschalem Antitypum*, ut *Vitæ Resurrectionis fundamentum*, *Paschalem typum*, ut *antiquum Vitæ Paschalis documentum*, *Paschalem Ectypum*, *Adamum*, ut *primum*, *vivumq; Vitæ præsentis Exemplum*. Venite prompti, Videte *Paschale Festum Adami*, Vincite Vos, & vestra peccata! *Sacrificiorum spiritualium Officinam*, *Altare*, Nobiscum accedite, Munera, quæ Deus largiter dedit, liberaliter Ministris offerte, longeq; plura, vel multo majora per fidem, à *Paschali Domino* semper expectate! Attulit *Messias*, Dominus *Paschalis* in *Paradiso* nostris *Protoplastis*, Gen. III. pro morte, v. 3. *Vitam*, v. 20. pro culpa, v. 6. *Sentiam*, v. 15. pro ira legislatoris, v. 11. *gratiam Salvatoris*, v. 15. pro *reprobatione*, v. 14. *donationem*, v. 16. seqq. pro maledictione, v. 14. *Semen benedictionis*, v. 15. pro *Satana*, v. 1. *Messiam*, v. 15. pro fuga, v. 8. *miliciam*, v. 16. pro *Spiritus tenebrarum*, in absconditis, *Spiritus dei*, vel *lucis*, v. 8. pro *diffidentia*, v. 6. *confidentiam*, v. 15. pro *injustitia*, v. 6. *justitiâ*, v. 21. pro pudore, vel *ignominia*, *amorem*, & *gloriam*, v. 15. pro *nihilo*, quod facti per lapsum erant, Pl. XXXIX. 7. *τὸ Πᾶν*, vel *Omnia*, quia nunc *omnia Messias* in *omnibus futurus erat*, I. Cor. XV. 28. &c. Attulit idem *Jesus* ea post resurrectione

ET MORTE VIVENTE.

625

Apostolis, Joh. XX. 20. seqq. Afferet eadem Vobis Adamigenis, cum Adamo Festum Paschale rite celebrantibus, Antitypum, Typum, & Ectypum, Paschalem per fidem plene possidentibus, & retinentibus! In Nomine JESU VICTORIS id FIAT! P. P. Wittab. In Vigilia Paschali, Anno M. DC. XCI.

IN NOMINE JESU!

PRIMI, PERPETUI, MAGNIQUE

MICHAELIS,

MYSTICAS, EX PUGNA MICHAELIS,

DELICIAS,

OMNIGENAS, EX VICTORIA MICHAELIS, SPOLIORUM

DIVITIAS,

ET PERPETUAS, EX GLORIA TRIUMPHATORIS MI-

CHAEELIS, PACIS LÆTITIAS,

RECTOR

ACADEMIÆ WITTENBERGENSIS,

GEORGIUS CASP.

KIRCHMAJERUS,

ORAT. PROF. PUBL. ACADEMIÆ SENIOR,

ET IMPERIAL. LEOPOLD. COLLEGA,

LECTURIS OMNIBUS,

ET SINGULIS,

AD HUIUS MAGNI FESTI

CELEBRATIONEM,

ET FESTIVALEM DEVOTIONEM,

EX OFFICIO

PRÆSENTIS ADMINISTRATIONIS,

EX GENESEOS III.

RELIGIOSIS STUDIIS

OFFERT.